

IN LOCO
IN LOCO.
DE LEGE MORALI IN
GENERE.
THEOREMATA.

1. **L**ex Moralis est doctrina hominis menti in primâ creatione inscripta, in Decalogo repetita, & declarata, rationem piè, justè & sobriè vivendi omnibus hominibus communiter tradens, obligans eosdem vel ad perfectissimam obedientiam, vel ad pœnam.
2. Dividitur in duas tabulas. *Prima* est, quæ de dilectione DEI præcepta tradit. *Secunda*, quæ agit de dilectione proximi.
3. Prima tabula continet tria præcepta priora. Secunda septem posteriora.
4. Finis Legis hujus est triplex respectu triplicis hominum generis, quorum alii sunt: peccatores obstinati, alii justificandi, alii justificati: Primus finis dicitur Politicus, & spectat contumaces, quibus Lex proponitur, non ut sit rerum agendarum norma, sed potius ut ipsi comminatione pœnarum coerceantur: Pœnæ hæ sunt tum æternæ, tum temporales. Hinc Apostolus dicit *1. Tim. 1. v. 9.* Lex injustis est posita. Vide etiam *Gal. 3. v. 19.* Lutherus ait parte 3. Articulorum *Smalc. Art. 2.* Lex a Deo data est, ut peccatum prohiberetur comminationibus, & metu pœnarum. Secundus finis est Pædagogicus, de quo discribit Apostolus *Rom. 5. v. 20. & 7. v. 7. Gal. 4. v. 24.* Lex enim. 1. Perfectionem summam, tum internam, tum externam requirit, à qua cum homo longissime absit, ideo 2. mentis nostræ cœcitatem & voluntatis omniumque membrorum pravitatem ostendit & arguit: Per Legem enim agnitio peccati *Rom. 3. vers. 20.* 3. Deinde ob malitiam accusat, & damnat, terroremque injicit *Rom. 4. v. 15. 1. Corinth. 15. v. 56.* nam Legi addita est horrenda comminatio *Deut. 27. v. 26. 4.* Hoc pavore homo non ad desperationem, sed obliq; ad Medicum quærendum adigitur, cum vere suum peccatum agnoscit. Hinc rectè Finis hic dicitur Pædagogicus, eo quod arguendo, accusando & terrendo tanquam Pædagogus ad CHRISTUM ducat *Galat. 3. v. 24.* Respicit igitur Finis hic Principaliter homines justificandos. Tertius est Didacticus, qui intuetur renatos,

renatos,